

principis missus, deprenneretur ab eo in carcere vinctus propter crimina? Quam erubisset filius prodigus, si a patre inventus fuisset inter porcos accubans, lacer, famelicus, etc? Hoc tu jam loco es peccator. Non igitur doles? Sed inspicere in speculo miseriam tuam. Si in hac civitate puella infimæ sortis, formæ tamen eximie, cujus gratia adametur a principe, eique desponsetur: si hæc post aliquot annos cadat in ægritudine, ex qua omnem omnino perdat formæ suæ decorem, ita ut princeps eamodis incipiat, imo a se ablegat in exilium, quanta hæc calamitas foret? Porro si ea in exilio sic constituta, summat speculum videatque sui vultus nimiam deformitatem, et recordetur prioris pulchritudinis, pristinique status ac dignitatis, annon uberrime flebit? Contingit hoc animæ tuæ, o peccator. Ea enim quando primo gratia vestita fuit, pulcherrima et Deo desponsata fuit. At vero per peccatum super carbones denigrata est, et propterea ab ejus conspectu, gratia et aula ejecta in exilium et carcerem damnandorum. Quid tu hic agas miser, si cogites hunc et pristinum statum tuum? Porro si quis illi puellæ diceret: En tibi unguentum habe, quo pristinam tuam pulchritudinem certo recuperabis, ut una dignitatem primam: quam putas illa gauderet? Unguentum hoc contritio est et lacrymæ. Hoc ergo, peccator, unguento crebro te perunge: sic enim facile conservabis pulchritudinem animæ tuæ. Ferunt elephantis domitos vespere quotidie suam deplorare servilem conditionem. Fac hoc et tu, quicumque in servitum incidisti dæmonis: noli prius somnum capere, quin defleres culpas tuas.

Ad hæc in potestate Dei es, a quo omni momento occidi et in gehennam mitti potes. An nescis Saulem, quando advertit se in specula deprehensum fuisse in manu Davidis, quem toties offenderat, adeoque ab eo facillime necari potuisse, elevata voce flevisse, I. Reg. XXIV. Tu peccator in manus es quem toties læsisti: non igitur compungeris?

IV. Quarta consideratio: *Quomodo cecidisti?* Si alloquitur Luciferum, Isaias, c. XIV. *Quomodo cecidisti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris? Qui dicebas in corde tuo: In cælum conscendam.* Ubi indicat, quam levi et vili pretio suam vendiderit gratiam, unica scilicet inordinata cogitatione, qua beatitudinem non debito modo appetit, quod miratur propheta, et notat Christus, Luc. X. cum monere volens discipulos, ne ambitioni locum præberent, dixit: *Videbam Satanam sicut fulgur de cælo cadentem.* Fulgur ad momentum tantum coruscet, et postea extinguitur, ita mundi gloria.

Nihilominus ob micam cogitationis coruscationem dejectus est in abyssum Lucifer. Cogita jam peccator, annon et tu multoties levissime re inductus cecideris in peccatum? Forsan una cogitatio morosa, vel in eam consensus, forsan unicum verbum contumeliæ, detractionis vel blasphemie, forsan momentanea gloriola vel voluptas, aut lucrum unius nummi præcipitabit te in barathrum peccati. Quomodo cecidisti? Quam turpiter deceptus es? *O insensati Galatæ,* inquit apostolus ad Gla. III. *quis vos fascinavit non obedire veritati?* Quanto vir alioquin prudens et honestus non nihil ab æquo abductus, stultum quid vel inhonestum egit: postea se colligans sibimet irascitur, et pudefit in seipso, uti fit, cum quis magnas opes lusu absumpsit, vel rem admodum pretiosam villissimo pretio vendidit. De fascinatore quodam Michaele Sicidite scribit Nicetas, I. IV. *annal. cum ex editiore palatii Constantinop. loco Michael Sicidites naviculam vidisset, quæ ollæ et patinæ vehebantur, carmine magico effecit, ut nauta exurgere et vasa non prius ferire desisteret, quam in pulverem redegisset.* At paulo post barba prehensa lamentari, amotaque caligine se ut ira numinis agitatam deplorat, rogatus cur merces suas ita tractasset? Cum dolore narrabat se remis intentum, horribilem serpentem super vasa porrectum, oculis inconvenientibus in se conversum instar devoraturi vidisse, qui prius volutari non destiterit, quam fictilia contracta essent, inde subito ex oculis evanuisse. Hunc in modum dæmon effascinat peccatores, ut ea, quæ virtutes sunt, pro vitiis habeant et fugiant: contra vero vitia veluti pulchra amplectantur, et quæ absurda et fæda sunt, pulcherrima existiment. Alii imaginantur sibi inimicum suum esse serpentem horridum, quem dum consequuntur, in seipsos sæviunt et animas suas necant: jam vero si ea nubes, quæ oculus cæcavit, recedat, quid superest, nisi ut vesaniam suam miseri deplorant? Ejusmodi dæmonia agebatur Esau, cum pro rufa pulvere vendidit primogenita sua, Genes. XXV. sed cum postea vidit propterea sibi surreptam esse patris benedictionem cæteraque bona primogenituræ annexa, consternatus: *Irrugit clamore magno,* Genes. XXVII. quia videlicet tantum bonum pro tam vili et modico esculento vendidisset. Nihil aliud agit peccator, cum animam suam tanto redemptam pretio, pro vili et turpi voluptate vendit. Non igitur irrugiet? Non deplorabit suam insaniam? Lysimachus rex, cum exercitum ob sitim hosti tradidisset, postquam captivus aquam accepit et bibit: *Proh,* inquit, *Deum fidem! quam exiguæ voluptatis gratia quantum regnum perdidit, meque ex rege ser-*

vum effect. Dic tu hoc peccator et irascere tibi ipsi.

V. Quinta consideratio: *Quo vadis?* Dixit hoc angelus Domini ad Agar, ancillam Saræ, fugientem a facie dominæ suæ, et in solitudine oberantem, q. d. tu hac ratione si es præda ferarum, et errando magis errabis: quin igitur reverteris et humiliaris sub manu dominæ tuæ? Simili modo peccator ad interitum suum tendit ut fiat præda dæmonum: ipse enim est filius illius viduæ mortuus, qui jam effertur ad sepulcrum inferni. Quot dies in peccato vivit, tot ad ipsum passus facit. Ac nisi Christus ei obviet, et sua miseratione tangens mortuum sistat, ac per gratiam resuscitet, sepelietur in inferno. Quare revertere o anima ad Dominum tuum. Annon audis vocem Domini tui post tergum momentis, Cant. VI. *Revertere, revertere Sunamitis, revertere, revertere!* Quid sibi vult tam serius et repetitus clamor, nisi quia videns Dominus ad interitum te pergere, inde vult revocare? Unicus tibi gradus ad infernum superest, mors corporis, ut jure dicere possis, quod de se dixit David, I. Reg. XX. *Vicit Dominus, quia uno tantum (ut ita dicam) gradu ego morsque dividimur.* Vult dicere, se versari in præsentissimo mortis periculo, se enim a rege Saule undique ad necem quæri, omnia esse plena insidiis, ac vix possibile esse sibi ut evadat. Tu in regno diaboli nullibi non existens, annon majori in periculo es? Tribus, aut quatuor digitis absunt a morte qui navigant, fracta enim una tabula ruunt in profundum: et tu, si frangatur maceria corporis tui, ruas in gehennam. Fortasse igitur, cras fortasse hac hora incipies habitare in inferno: revertere igitur, revertere dum reverti potes.

Et quomodo reverti possumus? Si cum Magdalena ad Christum redeamus et pretiosum illud unguentum, contritionem afferamus. Nullibi fere cernitur Magdalena seu in picturis, seu in evangelio sine pyxide unguentaria. Sit nobis quoque pyxis ista semper adhærens.

CONCIO IV.

QUANTA SIT VIS LACRYMARUM.

I. Delent peccata. — II. Trauquant mentem. — III. Facile impetrant. — IV. Delectant cælum. — V. Christum patronum obtinent.

THEMA.

Hæc autem lacrymis rigavit pedes meos. Luc. VII.

De Julio Cæsare refert Suetonius, eum postquam de Ponto victoriam reportasset, triumphum egisse

et inter pompæ fercula trium vernorum prætulisse titulum, scilicet: *Veni, vidi, vici.* Quibus aliud non designabat, quam quod brevissimo tempore, et facillimo labore victoriam, et trophæa de Ponto reportarit. Tametsi mulier est Magdalena, bello inidonea, eam tamen Ecclesia in hodierno officio multoties appellat *mulierem fortem.* Equidem, ut arbitror, quia in hodierno evangelio fortissimam obtinuit victoriam in domo Pharisæi, et inde plurima tulit spolia, quodque magis mirum, brevissimo tempore, nullo quasi labore. Venit enim in domum Pharisæi, vidit accumbentem Christum, et lacrymis lavit pedes ejus. Hæc tota bellandi ratio. Non legimus vel verbum quod protulerit, solas lacrymas adhibuit. Et tamen ibi stupendam obtinuit victoriam, dum ipsius irati Dei cor expugnavit, eumque sibi devinxit. Ad hæc maxima reportavit trophæa, remissionem peccatorum, fidem, defensionem sui, pacem, salutem. Unde merito et ipsa in amoris sui triumpho tria illa verba, quasi totidem trophæa potuit præferre: *Veni, vidi, vici.* Super hoc exclamat Petrus Ravenna: *O quanta vis in lacrymis peccatorum, quæ omnem abluunt culpam, gehennam extinguunt, latam divina promulgatione flectunt sententiam.* Sed modum harum lacrymarum accuratius contemplerur.

I. Lacrymæ delent peccata. Unde Magdalena audit: *Remittuntur tibi peccata.* Quare S. Gregorius Nyssenus, in orat. II. ad eos, qui alios durius judicant, ait: *Lacrymarum effusio baptismi habet vim; gemitusque reducit gratiam, quæ paulatim excesserat.* S. Chrysost. hom. II. in Ps. L. vocat lacrymam *spongiam peccatorum.* Unde qui peccata sua deflet, quasi spongia quadam delet. Probatum et divino ostento, in juvene illo, qui cum præ lacrymis recensere peccata sua confessario non posset, ideoque in schedula descripta porrigeret, ita cælesti sententia absolutus est, ut omnia delerentur, antequam legerentur, apud Cæsarium, lib. II. cap. X. Jam si quis lacrymando delere posset sua debita quantumvis magna, item si mater filium demortuum resuscitare posset lacrymis quantum quæso lacrymarum funderet? De echino scribit Pierius, lib. XVIII. hierogl. dilaniatum est dissectum in partes, et projectum in mare redintegrari et restaurari colluentibus rursus et coalescentibus partibus. Hoc sane in peccatore faciunt lacrymæ quæ perditum restaurant, et pristino vigori ac dignitati instituunt: et quod magis mirum, ex maximis peccatoribus maximos sæpe sanctos faciunt.

Testis imprimis Maria Egyptiaca, quæ ut scribit Sophronius episcopus Jerosol. initio mulier fuit impudicissima, quippe quæ non quærebat

mercedem, ut aliæ meretrices, sed ipsa mercedes dabat, ut satiare libidinem suam posset. Denique, horror est legere in quam profunda abyssu turpitudinum jaceret. Cum autem per pœnitentiam inde emersisset, ad solitudinem perrexit, in qua per annos quadraginta septem hominem non vidit, et ad tantam sanctitatem pervenit, ut jam non homo, sed terrestris quidam angelus videretur. Eam vero solo lacrymarum pretio sibi comparavit. Testis idem Sigismundus Burgundionum rex, qui cum ira percitus filium strangulasset, facti pœnitens ad cœnobium Agaunense a se extractum abiens per multos dies in fletu et jejuniis durans, petebat ut in hoc sæculo potius quam in futuro de tam immani facinore pœnas daret, quod et impetravit: nam paulo post a Clodomero Clodovæi Francorum regis filio, bello victus et cum uxore et filiis interfectus, et in puteum abjectus est. Unde extractus et ad Agaunense cœnobium delatus, miraculis claruit, et in ecclesiasticis tabulis receptus est anniversaria ubique memoria celebrandus, cal. maii, apud Baron. anno 526. Testis denique Maria Magdalena, quæ initio per peccatum miserrime deformata, postea per lacrymas tam speciosa facta est, ut a Christo singulariter diligeretur. O magnam vim lacrymarum!

II. Tranquillant mentem et certam spem indulgentiæ et reconciliationis cum Deo producunt. Idcirco enim Dominus Magdalena dixit: *Vade in pacem*. Ita Sara filia Raguelis in oratione sua ad Deum: *Post tempestatem tranquillum facis, et post lacrymationem et fletum, exultationem infundis*, Tob. III. et Chrysost. hom. VI. in Matt. VI. « Sicut post vehementes imbres, inquit, mundus aer ac purus efficitur, ita et lacrymarum pluvias serenitas mentis sequitur atque tranquillitas. » Ratio est, quia lacrymæ testantur magnam peccatorum displicentiam et detestationem Deique dilectionem. Unde Dominus de Magdalena dixit: *Remissa sunt ei peccata multa quia dilexit multum*, q. d. quia ex magna dilectione Dei peccata sua deflevit. Petierat aliquando a Sancta Catharina Senensi Raymundus Capuanus ejusdem confessarius, ut precibus suis a communi Domino impetraret bullam plenariæ indulgentiæ, per quam ipse Raymundus certior redderetur, sibi peccata omnia fuisse remissa. S. virgo pollicita est talem a Domino bullam se postulaturam. Sequenti die, præmissa oratione ad Deum, Raymundum adivit, et dum loquitur de ingratitude hominum erga Deum, tactus Raymundus Spiritu sancto, intueri sibi visus est peccatorum suorum multitudinem et magnitudinem tam perspicue, ut continuo ex amarissima contritione tantam vim lacrymarum

effuderit, et in singultus ac rugitus tales proruperit, ut periculum fuerit, ne pectus et cor ejus rumperetur. Tum virgo: *Hæc, inquit, est bulla indulgentiæ, quam tibi Dominus misit, esto igitur gratus gratis Dei*. Unde ille mirum in modum lætus, cum Davide dicere potuit ex Ps. L. *Auditum meo dabis gaudium et lætitiā, etc.* Scribit ipse Raymundus, in vita Sanct. Catharinæ. Felix qui hanc bullam in hac vita obtinet. Consonat huic, quod quidam abbas dixit, in vitis pp. « Filii Israel post quadraginta annos intraverunt in terram promissionis. Lacrymæ sunt terra promissionis, ad quas si perveneris, jam non timebis bellum. »

III. Efficacissimæ sunt ad impetrandum quidvis a Deo. Patet in Magdalena, quæ nihil omnino petens, sed lacrymas tantum fundens, impetravit remissionem, defensionem, pacem, salutem. Ita Anna Samuelis mater, post longam sterilitatem, flens largiter coram Domino impetravit prolem sanctissimam: S. Monica, S. Augustini mater pro conversione filii ubertim flens, a quodam pio episcopo audivit: *Fieri non potest, ut filius istarum lacrymarum pereat*, lib. III. confess. cap. I. S. Antonius, cum monachi ejus penuriam, aquæ paterentur in eremo, pro aqua rogavit Deum: *Et ad primam rogantis lacrymam*, inquit S. Athanasius, in vita S. Antonii, *in orationis loco fons ebulliens erupit*. Ratio est, quia lacrymæ sunt orationis quasi condimentum, æque Deo velut suavissimum efficiunt ferculum: qui etiam orat cum lacrymis, testatur se serio orare, et adjutorium altissimi toto corde implorare, quod summo perire placet Deo. Ideo Raphael ad Tobiam ait: *Quando orabas cum lacrymis, ego obtuli orationem tuam Domino*, Tob. XII. et Eccl. XXXV. ait de lacrymis pupulli et viduæ: *A maxilla ascendunt usque ad cælum, et Dominus exauditor non delectabitur in illis* (vel ut alii codices legunt) *delectabitur in illis*. Utrumque enim verum: non delectatur in illis, quatenus earum causa est credulitas opprimentis; sed in eis delectatur, quatenus sunt orationis condimentum. Unde S. Bern. non immerito lacrymas vocat *sanguinem animæ*: et Hieronymus in Isaia ait: *Oratio Deum lenit sed lacryma cogit; hæc ungit, illa pungit*: et Amb. serm. XV. *Vim, inquit, faciemus Deo, non compellendo sed flendo*. Alianus, lib. XIV. var. hist. scribit de principe quodam nomine Trisous, qui cum esset in subditos crudelis, et ideo sibi ab illis timeret, interdixit civibus omne colloquium. Quo facto ipsi per nutus confabulabantur, quod ipse similiter prohibuit. Itaque cives in foro consedentes, lacrymas una ciere consueverunt. Hoc sibi in majorem fore perniciem metuens rex stipata manu

in forum descendit, etiam lacrymas prohibiturus: sed devictus ipse et jugulatus est a lacrymantibus. Nimirum lacrymæ oppressorum a maxilla ad Deum ascendunt, et vim quodammodo illi faciunt. Sive ergo aliquis homo, sive diabolus nos opprimat, si per lacrymas Deo nos commendemus, adjutorem experiemur.

IV. Delectant Christum per omnes cœli cives. Propterea Christum Magdalenam lacrymantem, nequaquam, ut Pharisæus faciendum putabat, a se repellebat, sed libenter tolerabat, imo et præconio extollebat, dicens: *Hæc autem lacrymis rigavit pedes meos*. Hoc ipsum magna fiducia loquens David ad Deum dixit, Ps. XXXVIII. *Lacrymas meas ne sileas*, (sic enim conjunctim legunt Heb. et Græcus textus.) Ratio quia lacrymæ sunt gratissimum Deo sacrificium, martyrio simile, ut dixit Chrysost. homil. II. in Psalm. L. Sicut enim martyr fundit pro Christo sanguinem, sic pœnitens fundit lacrymas, quæ sunt sanguis animæ, ut diximus ex Bernard. Item, sicut martyr seinditur et laceratur in corpore, sic vero pœnitens seindit ipse cor suum et conterit juxta præceptum Domini, Joel II. *Scindite corda vestra*. Tertio, sicut martyr offert Domino sacrificium gratissimum mortis suæ in testimonium fidei, sic et verus pœnitens offert sacrificium acceptabile Domino spiritus contribulati, in testimonium odii erga peccatum, et charitatis erga Deum: *Lacrymæ enim testes amoris sunt*, ait S. Bern. serm. IX. in cœna Domini. Denique, sicut martyr sine purgatorio recte ad cælum volat: sic et verus pœnitens, quando ex perfecta detestatione peccatorum fundit lacrymas copiosas ex ardenti amore, etc. ita enim Magdalena pleranti dimissa sunt culpa et pœna.

Similiter etiam angelos et omnes cœli cives lacrymæ lætificant. Etenim S. Bernard. super cantica vocat lacrymas *vinum et delicias angelorum*, quia videlicet super peccatoris pœnitentiæ gaudium est in cœlo coram angelis Dei, qui vident excoli vineam Christi et laborem suum in excolendis vitibus sibi creditis esse non frustraneum, sed optime locatum, cujus fructum seu vinum a vitibus expressum, id est, fructum pœnitentiæ jam degustant. Designatum est hoc eorum gaudium mystice in convivio Abrahami quod fecit in die ablactationis filii sui Isaac, Gen. XXI. Mirum enim videtur, instituisse convivium, quando dilectissimus filius ab ubere matris abstrahitur, ideoque flere vehementius cogitur: sed nimirum ita res habet in ablactatione et fletu peccatoris, cujus ploratus, festivitas est cœli, quia ut in ablactatione filius creditur vitalis futurus et solidioribus

cibus assuescit: sic lacrymans peccator creditur vitam æternam adepturus.

Sciendum tamen est, non quascumque lacrymas vinum esse angelorum, sed eas tantummodo, quæ ex Dei amore ad deflectionem peccatorum, et cœlestium honorum desiderio ex oculis exprimentur. Sunt enim aliæ lacrymæ vanæ, inutiles et insipidæ quibus angeli boni nihil delectantur: velut cum *ploratur lacrymis amissa pecunia veris*, item cum flagella sua dolet homines, quare flagellantur, non dolent, ut inquit Augustin. Ps. XXXVI. et similibus de causis quales lacrymæ malorum potius dæmonum, quam angelorum vinum sunt. Lacrymæ bonæ aquæ de cœlo sunt, quia dispendia animæ deplorant; lacrymæ malæ, aquæ de terra, quia dispendia carnis deplorant: unde angeli boni et mali litigant quodammodo pro lacrymis hominum, quomodo servi Jacob et pastores Geraræ pro puteis, dicentes: *Nostri est aqua*, Gen. XXVI. Nemo itaque rem tam pretiosam dæmonibus attribuat.

V. Patronum et defensorem obtinent Christum ipsum contra omnes, siquidem in hodierno evangelio tacentis et plorantis Magdalene causam suscepit et egit contra Pharisæum. O miram Dei bonitatem! Cum ipsimet Domino falsa crimina impingerentur coram iudicibus, pro se libi respondit. Nunc autem, pro lacrymante respondet peccatrix. Annon hic videre est quantum desideret salvare peccatores? Quomodo autem hic causam egit Magdalena contra Pharisæum, sic ager in iudicio omnium causas pœnitentium contra eorum inimicos: *Et si Deus pro nobis, quis contra nos?* Rom. VIII. Ostendet enim in mundo, quantum fuerit valor, quantum pretium lacrymarum, quantumque boni una lacrymula emi potuerit.

Ibi exprobrabit impœnitentibus misericordiam ei oblatam et non acceptatam. Quid enim magnum ab iis petiit? Scilicet jussit eos ad pedes suos humiliari, confiteri et plorare. Quid magnum, offerre lacrymam pro regno cœlorum? Exprobrabit hæc ipsa etiam peccatrix Magdalena quæ solis lacrymis tantam obtinuit gratiam: quod ejus exemplo nihil fuerint moti nec recurrerint ad Christum, nec unam lacrymam, fuderint. O quantum illi in gehenna arguent suam stultitiam, quod hi paucis lacrymis expedire se diaboli laqueis potuissent et cœlo inserere? In posterum vero æternum ploraturi nihil proficient? Quam ergo sapiunt, qui hoc pretioso vino animas suas pascunt uti fecit S. Bernard. qui dicebat: « Firmum est mihi propositum nunquam ridendi, quoad usque audiam ex ore Dei illa verba. *Venite benedicti*: neque a fletu desinam donec liber sum ab illa sententia: *Ite maledicti in ignem æternum*. »

CONCIO V.

DAMNA FOEDÆ LIBIDINIS.

I. In bonis fortunæ. — II. In corpore. — III. In animo.

THEMA.

Hic si esset propheta, sciret atque quæ et qualis est Mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est. Luc. VII.

Non male locutus fuisset Pharisæus, si Magdalena venisset ad Christum, non ut piatrix, sed ut peccatrix; si non retro accessisset: si non ad pedes ejus cecidisset; si eos lacrymis non rigasset; si non unguento unxisset; si non capillis tersisset. Si enim ut peccatrix venisset, si impudens mensæ assedisset, si formam suam ostentasset, si osculum impudicum alteri infixisset, si vino se proluisset, si faciem suam depinxisset, si capillos expandisset et ornasset; tunc, inquam recte et prudenter locutus esset Pharisæus: *Hic si esset propheta, etc.* Talem vero Christus nequaquam admisisset: sed ut feram aliquam immanem foribus exclusisset et cum ipso omnes ad facere debuissent: ejusmodi enim immanis fera est libido, ut si recte agnosceretur, a nemine mortalium in domum admitteretur, sed ocius periretur. Ea vero describitur, Daniel VII. in visione Balthasar: *Ecce bestia alia similis urso in parte stetit et tres ordines in ore ejus et in dentibus ejus: et sic dicebant ei: Surge, comede carnes plurimas.* Quæ hoc bestia nomine, nisi libido? Quam apostolus nec nominari vult in nobis, et Lucas in hoc evangelio nominare non est ausus; sed dixit tantum: *Quia peccatrix est.* Annon ipsa urso similis, quæ mel illicitæ voluptatis quærit et propter eam sæpe per foramina et fenestras irrepit? Annon ipsa comedit carnes plurimas, id est, plurimos carnales homines, utriusque sexus? Annon ipsa dentium ordines tres habet, quæ triplicia hominis bona frangit et comminuit, animæ, fortunæ, corporis? Hanc igitur cane pejor et angue odisse et fugere discamus, in præsentem describemus et dicemus, quanta damna inferat hominibus.

I. Infert damna bonis fortunæ: ac primo, opes perdit, quam ob causam Sapiens, Prov. IX. ait: *Qui nutrit scortum perdet substantiam.* Unde Terent. in eun. Act. I. c. I. vocat meretricem *fundi calamitatem*, id est, grandinem crassiorem, quæ segetes vastat: *Nam quod nos capere oporteret, ait servus, hæc intercipit.* Certe vix unquam se attollit seges, quam calamitas illa oppressit. Ita et libido ac pellex absumit ea, quæ uxori, liberis, amicis, creditoribus debentur: nec facile ditescit, qui las-

civiæ vacat. Et hanc grandinem vult Rupertus designatamper illam Exod. IX. quæ igni mixta percussit cuncta, quæ fuerunt in agris, cunctam herbam agri et omne lignum regionis. Et hæc percussit prodigium illum filium, ita ut tandem cum porcis siliquas cuperet comedere et non haberet, quia scilicet: *Dissipavit substantiam suam cum meretricibus, Luc. XV.*

Secundo, adimit sæpe regna et possessiones. Imprimis David ob adulterium ejectus est e regno suo ad tempus: ejus filius Salomon ob meretricios amores audiit a Deo: *Dirumpens scindam regnum tuum et dabo illud servo tuo, III. Reg. XI.* Sic Romanorum reges Tarquinii, ejecti et regno pulsi sunt propter compressam a Tarquinio Lucretiam: sic propter adulterium Appii Claudii desit etiam Romæ decemviratus: sic regnum Assyriorum sub Sardanapalo longe salacissimo translatum ad Chaldæos: non enim poterant sustinere Assyrii hirci hujus libidines et ineptias, quem non putabant inter meretriculas suas pensa ducere: Trojæ illi celeberrimæ exitium attulit libido seu raptus Helenæ: privatis etiam hominibus auferit plerumque dotem et honestum connubium, quod nancisci potuissent, nisi se hoc vitio conspurcassent. Talibus contingit quod cerevisiæ acidæ, quæ cum ludibrio traducitur, cujus mensura duobus vœnit nummis, quæ prius vœnisset duobus crucigeris: et sæpe omnino effunditur. Atque ita recte puniuntur ejusmodi puellæ leviculæ; quemadmodum et juvenes. Similiter et familiæ, quæ propterea nunquam crescunt, quemadmodum et tribui Ruben, cui in benedictione dixit Jacob: *Effusus es sicut aqua: non crevasci quia ascendisti cubile patris tui, id est, incestasti Balam uxorem patris tui, Gen. XLIX.* unde nec crevit, ut aliæ tribus, numero prolium et nepotum, nec etiam excellentia, opibus et gloria: cum contra casto Josepho, qui noluit ascendere cubile domini sui, dicat: *Do tibi partem unam extra fratres tuos, Gen. XLVIII.*

Tertio, perdit propriam prolem, quæ etiam præclarum est Dei donum; perdit, inquam, quandoque reipsa, quatenus efficit, et proles necetur in utero, vel postquam nata est, atque adeo salute etiam privatur. Id quod et ursa interdum, teste Oppiano, facit, prolem scilicet necando ut congressum repetat; civiliter vero semper, dum spurios generat liberos, qui et apud homines abjecti sunt, et plerumque deferuntur maleque educantur. Hoc vero utrumque damnum, annon maximum censi debet? Quis enim nisi insanus, pro honestis et legitimis, spurios sibi deligat? Quis resarciat damnum liberis, sive reipsa, sive civiliter necatis? An tu non doleres, et parenti-

bus tuis vehementer indignareris, si ipsi illicite vel etiam damnato concubitu spurium te genuissent? Novi certe ejusmodi liberos, qui parentibus etiam mortuis propterea maledixerunt, totaque vita infensi fuerunt. Nec dubium quin ejusmodi parentes suos accessuri sint coram Deo. Taceo quod sæpe ejusmodi liberi in pœnam parentum, multis cum defectibus nascantur; cujusmodi non paucos vidi et recensere possem. Legimus in vita Sancti Stanislai Boleslaum Poloniae regem cujusdam pellicis amore dementatum divinitus confusum; quotquot enim ex concubina liberos suscipiebat, omnes deformes, monstruosi et dementes nascebantur, totaque eorum posteritas in meram stultitiam et amentiam degenerabat.

II. Nocet etiam corpori. Et primo, causat varios et abominabiles morbos, partim ex contagione, partim ex ipsa intemperantia resultantes. Affliguntur enim imprimis vires corporis frequenti usu libidinis, ut eam ob causam olim lata lege temperantes esse debuerint, qui certaturi in arenam descendebant, imo etiam depugnando in illam egregiam formam oculos intendere, ut scribit S. Basil. serm. ne rebus temporalibus affixi simus. Ad hæc intemperantes sæpe morbos contagiosos contrahunt, quibus plane depilantur, adeoque fœtent et toto deformantur corpore, ut seipsos horreant, vixque inveniant qui vel summo illecti pretio velint curandos suscipere. Talibus præterea dentes omnes vacillant, cadunt, manus ad os admovere vix possunt. Quid plura? Quodlibet membrum tactum quadam veit paralyti ad munus suum sit indoneum. Carolus I. Navarre rex in juventute libidinosissimus ita sensim nativum exhaesit calorem, ut annos natus quinquaginta quatuor caleferi nullo modo posset; unde suavis medicorum panno aqua viva tincto est involutus. Dum autem famulus, qui eum consuevit, filium secare volens uteretur accensa candela, statim pannus undique flammam concepit, quæ miserum regem confecit undique in pœnam intemperantiæ, Chavass. de prudentia, l. III. c. IV. Ad hæc lascivientibus immatura calvities et senectus obrepunt. Chrysost. audi in hom. quod nemo læditur nisi a seipso: « Qui in libidine vitam ducunt, inquit, resoluta corpora et omni cera molliora circumferunt atque agmine quodam infirmitatum repleta: quibusque ad cumulum matorem podagræ tremor et immatura senectus succedit: et est eis vita semper cum medicis et medicamentis. » Quis ergo nisi insanus tanta demerita sibi emat tam exigua voluptate?

Secundo, causat sæpe homicidia, siquidem ob tuprum illatum Dinæ, Schem a filiis Jacob inte-

remptus est, Gen. XXXIV. Amnon a fratre Absalone, quod sororem violasset, II. Reg. XIII. Valentinianus imp. tentans uxorem Maximi patricii Romani ab eo interfectus est, qui et imperium invasit, ut scribit Zonaras.

Denique, nihil esse, quod magis acceleret immaturam mortem præter Venerem, ostendunt medici, uti Hippolytus Guatinonius, in l. suo, c. XXVI.

Tertio, meretur peculiarem cruciatum apud inferos: sicut contra virgines peculiari gaudio fruuntur in cœlis, Isa. LVI. et Apoc. XIV. quia plus ibi perpetiuntur qui amplius in hac vita potuerunt se illicitis majoribusque voluptatibus juxta divinum illud decretum: *Quantum in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum, Apoc. XVIII.* voluptates autem venereæ fortissimæ omnium sunt quoad sensum, et extra conjugium illicitæ sunt. Ergo fortissima eis debetur pœna sensus. Qualis vero ea pœna futura sit, prædicit Joan. Apoc. XXI. *Pars illorum (fornicatorum, etc. erit in stagno ardente igne et sulphure.* Qua eadem pœna puniti etiam in vita Sodomitæ, et merito: *Qui enim ad perversa desideria ex carnis fœtore arserant, inquit D. Greg. lib. IV. moral. c. X. dignum fuit, ut simul igne et sulphure perirent.* Fœtori ergo libidinis debetur sulphur, ardori vero ignis. Hanc mercedem ipsi unica et exiguissima voluptate promerentur, ad instar etiam ursi, qui in Norvegia, ut refert Gesnerus, cum mellis gratia arbores conscendunt, ponderoso malleo a venatoribus ad formam melle illitum disposito, ita feriuntur in capite ut quandoque decidant exanimeturque: *Favus distillans labia meretricis; novissima autem illius amara quasi absinthium, inquit Sap. Prov. V. Sic fere evenit Jonathæ, qui ob gustatum parum mellis contra præceptum patris, morti adjudicatus dicebat: Gustans gustavi in summitate virgæ, quæ erat in manu mea, paululum mellis; et ecce moriar! I. Reg. XIV.* Sane si scivisset Jonathas, mortem ei decretam esse, quid aliquid gustasset; nequaquam extendisset manum ad tam parum mellis; siquidem nemo alius ex toto exercitu quidquam gustavit, licet esuriret et mel copiosum in via cernerent, ut habetur ibi, propter pœnam mortis statutam. Quando igitur scimus nos a Deo adjuratos esse præcepto illa: *Non concupisces:* et præterea decretum esse luxuriosis a Deo stagnum ignis ardentis et sulphuris: quis audet tam parum mellis vetiti emere tanti? Si enim alicui permitteretur explere ad horas aliquot libidinem, ita tamen ut totidem diebus postea arderet in fornace: quis sanæ mentis hoc acceptaret? Demosthenes certe, nihil sciebat de inferno, nihilominus cum Corinthum profectus esset ad Laidem, mille drachmas postulantem, res-

pondit: *Ego tanti pœnitere non emo.* Qua sententia, naturam tantum intellexit tristitiam, quæ libidinem consequitur, vel tantæ pecuniæ jacturam. Quid dixisset igitur si scivisset, ejusmodi peccato sulphur et ignem inferni decretum esse a Deo? Itaque surget is aliquando in judicio, et accusabit Christianos.

III. Nocet animo, ejusque bonis: et primo, destituit hominem divina gratia, eumque Deo exosum reddit: quia imaginem Dei in homine luto conspurcat, quia sicut casta placet superis, ut ipsi etiam agnoverunt ethnici, ita turpia contra displicent. Et sicut turpitudine maxime placet dæmoni: propter quod ipse in suis sagis turpitudinem urget et corpussibi fabricat, ut eorum sceleratis cupiditatibus succumbendo vel incumbendo satisfaciatur; ita consequenter maxime displicet Deo. Quæ res constare ex eo primum potest, quod homines in vitium turpitudinis lapsos non tam homines, sed carnem tantum appellavit, Gen. I. *Non permanebit spiritus meus* (id est, anima homini in me inspirata) *in homine in æternum, quia caro est,* id est, quia carnalibus operibus se totum dedit, ut exponit S. Chrysost. Ac propterea pertæsus humani generis gravissime omnium hoc peccatum punit diluvio. Deinde, Pentapolim igne et sulphure perdidit ob Sodomiam, patriarcha Abraham frustra intercedente. « Quia enim talem carnis fetorem, inquit Rupertus, miserant Sodomitæ ad cælum, recte de cælo fetorem igneum vel ignem fetidum receperunt. » Quibus solis ex plagis colligi potest, quantum ostendat Deum factor luxuriæ. Mirum ergo si privatus homo non timet sibi ad ira Dei, quam non pepercisit videt ipsi humano generi similibus sordibus inquinato: *Mirror te Antoni,* dicebat (Philipp. II.) *Civero, quod quorum facta imitaris, exitus non horrescis.* Deinde, ex eo, quod Christus in suo collegio nullum permisit labi in luxuriam, cum tamen permiserit discipulos labi quosdam in ambitionem, contritionem, avaritiam, furtum, proditorem, apostasiam, negationem, etc. Quia scilicet peccata venerea Deo maxime sordent, et ab ejus conspectu, et domo longissime removeri decet omnem fetorem. Unde Joannes, de civit. Dei cœlesti loquens ait: *Foris canes et venefici et impudici,* Apoc. XXII.

Secundo, intellectum excæcat, ut suas ineptias, scurrilitates, levitatem, turpitudinem, infamiam, imminens periculum, peccatique gravitatem videre nequeat. Cujus rei typus fuit sorasia, qua divinitus percussa Sodomitæ ostium domus, quod efringere parabant, invenire ipso die non poterant, Gen. XIX. ita nimirum libidinosi turpitudines manifestissimas et stultitias suas palpabiles deprehende-

re nequeunt: adeo absorbentur a carne et bestialitate, ac quasi nebula videre prohibentur. Quis in rebus divinis ad salutem necessariis oculatior fuit Davide? Et tamen is per unum adulterium ita excæcatus fuit, ut fere per annum videre non potuerit ejus turpitudinem et gravitatem: sic enim ait, Psalm XXXIX. *Comprehenderunt me iniquitates meæ et non potui ut viderem:* et Psal. XXXVII. *Dereliquit me virtus mea, et lumen oculorum meorum non est mecum.* Et forte nunquam agnovisset, nisi Nathan propheta artificioso invento, peccato illius alium induisset. Ejusdem alius sapientissimus Salomon, quo tenebrarum prolapsus est ob libidinem? Nonne adoravit idola concubinarum suarum? Nonne ita in profundum venit, ut valde sit probabile, nunquam emersisse? *Cumque jam esset senex,* ait Scriptura, III. Reg. XI. *depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur deos alienos.* Ruit similiter a culmine prudentiæ Henricus VIII. Angliæ rex, ob eadem causam. Nam cum prius uti principem decebat vere christianum erga sedem apostolicam leges omnes observaret modestiæ: postea vero deperire cœpisset Annam Bolenam, ut eam Catharinæ uxori suæ legitime substitueret, factus est a se totus alius; atque ut sedi apostolicæ, a qua redarguebatur, simultaret et illuderet, non erubuit summum se profiteri in regno suo pontificem, et pronuntiare, non alteri mortalium quam sibi competere jurisdictionem in subditos, sive temporalem sive spiritualem. Quæ insana præsumptio a cæteris christianis principibus cum risu et indignatione simul suscepta est. Verissime igitur Arist. III. eth. c. XI. *Voluptates prudentiæ sunt impedimento atque eo magis, quo magis quis oblectatur, ut in venereorum voluptate contingit, iniqua constitutus nemo intelligere quidpiam potest.* Hæc ille.

Imo fatuum reddit et dementat. Hinc Dionys. Syracusanus Myrtam meretricem omnibus regni negotiis præficebat. Refert Chavass. de prudentia, lib. I. cap. VIII. Muliebri more vivebat imp. Hellogabalus, gestabat colum, ducebat stamina cum suis, una erat Themistocli, qua accipiente pharmacum, ipse quoque alioqui toto sanus corpore accipiebat, et hac non contentus stultitia, limpidæ loco, sanguine ejusdem utebatur ad ablucendam faciem: Athenaricus Gotthorum rex, dum pecteretur a Pynthia, ipse interim ejus calceos purgabat: illæ Herculis victrices manus, quæ tot monstra subegerant, amasiæ ejus, cui nomen Omphala, colum et calathum ad lanificium ridicule ministrabat: hinc bene Diogenes scoria dixit esse regnum reginas, apud Laert. lib. VI.

Tertio, voluntatem rapit quodammodo in servitutem, ut peccato tenacissime adhæreat, ab eoque

se avelli ægerrime patiat: unde fit ut nihil ei sapiat præterquam carnis illecebræ: sordescunt ei libri pii, conciones, oratio, Ecclesiæ frequentatio, confessio, communio, etc. infecto enim palato omnia ista desipiunt. Ratio, quia anima magis est ubi amat, quam ubi animat. Hinc de Sichem dicitur, Gen. XXXVI. quod *conglutinata* sit anima ejus cum Dina. Quod enim semel conjunxit gluten, vix dissolvi potest et frangitur potius. Eodem pertinet, quod dixit Jerem. cap. II. *Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ atravit ventum amoris sui, nullus avertet eam.* Dicitur enim o nagra, cum semel naribus hausit odorem masculi, ita perdit eum insequi, ut nullis viribus detineri nequeat.

Talem igitur ait Jeremias esse lascivium amorem hominum. Quinetiam si forte admonitionibus, minis, et correctionibus infestetur, in correctorem sævit ad instar ursi, qui dum carnibus vescitur, irruit in eum, qui offerre eas molitur. Sic et isti faciunt, cujus exemplum patuit in Herode et Herodiade, qui caput abstulere Joanni, qui ipsorum incestum redarguebat: et in pellice Gosberti ducis Herbipolensis, quæ cum fratris ejus uxor esset, et ad instantiam S. Kiliani a ducis thoro removeretur, necem viro sancto machinata est, et attulit per sicarios: in Boleslao rege Poloniæ, qui ob libidinem castigatus a S. Stanislao, necem ei intulit. Ecce igitur in quanto præcipitio sint libidinosi, et quam citatis equis currant ad infernum! Non quod impossibile sit eos retineri: (ipsæ enim meretrices, quarum noctes emebat Sanctus Vitalus, ne fornicarentur alias libidinosissimæ, accepto ab eo pretio se continebant.) Sed quod partim illecebræ hujus vehementia, præsertim accedente impudentia et consuetudine, partim divinæ gratiæ destitutio (juxta id Psal. LXX. *Deus reliquit eum, persequimini et comprehendite eum, quia non est, qui eripiat*) hominem in arctam redigant servitutem, unde perquam difficulter sese extricare potest. O crudelem igitur bestiam, quæ tam tenaciter insigit dentes!

Quarto, famam denigrat et ludibrio exponit, imo etiam ipsimet luxurianti pudorem injicit, ut latebras quærat, et mutuum conspectum naturali dictamine horreat: eo quod luxuria opus sit pecuniam, hominis mente indignum; quam tamen indignitatem et ignominiam abstergit vinculum matrimonii, quando ad prolem suscipiendam ordinatur: sicut et delicatis cibi vesci, solum ut gustus oblectetur, res est homine indigna et pecunia; secus si propositam habeat honestam corporis sustentationem. Quoniam igitur luxuria in se turpis et abominabilis est, hinc fit ut pene nihil adeo infamem reddat hominem, atque ipsa,

quando patefit. Novi certe juvenes celebris aliquin parentis filios, qui ob lasciviam in tantam devenere infamiam, ut tandem a magistratu publice confusi, infami loco ad Numellas populo ostentati, et postmodum e civitate exacti sint; sic nimirum merito punit Deus lascivos, qui quoniam latebras quæsierunt ad peccandum, merito a Deo in lucem protrahuntur ad eorum infamiam, quam tantopere fugiebant. Ita enim adultero Davidi dixit per Nathan: *Tu fecisti, abscondite: ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israël et in conspectu solis,* II. Reg. XII.

Proh! igitur in quantam malorum congeriem projicit se obscœnus? Quot ursi dentibus conficitur? Quot perdit bona? In quot incidit mala? Et tamen heu! quam plurimas carnes devorat hic ursus? Imo certatim homines utriusque sexus et ejuſcumque ætatis in os illius involant.

Quid vero de parentibus dicam, qui liberos suos vel a libidine non revocant, vel etiam ad eam instigant? Id nimirum Davidis: *Immolaverunt filios suos et filias suas dæmoniis.*

Quid vero magistratus, qui hoc nefandum scelus non castigat?

Surgent igitur omnes impudici cum Magdalena, quæ ut cognovit, quod Jesus accubisset, venit ad illum. Ut cognovit, in quanta mala devenisset, in quanto periculo versaretur, surgens quæsivit medicum, prosiliit ex ursi dentibus. Cognoscant ergo illi quoque quibus in sordibus jaceant, et quo in periculo versentur, surgantque ocius, et veniant ad medicum: sin minus, veniet aliquando Christus ad ipsos, sed in furore iræ suæ. Sic enim ait Soph. I. *Visitabo super viros defixos in fœcibus suis*

CONCIO VI.

VARIÏ CONTEMPTORES PROXIMORUM REPREHENDUNTUR.

I. Non contemnat justus peccatorem. — II. Dives inopem. — III. Doctus indoctum. — IV. Nobilis igaobilem. — V. Eminentior inferiorem. — VI. Pulcher deformem. — VII. Fortis imbellem, etc.

THEMA.

Simon habeo tibi aliquid dicere. Luca VII.

Videmus quidem passim existere adhuc Judæos: sed quid est, quod nulli reperiantur amplius Pharisæi? Neque enim memini Judæum aliquem se jactasse pro Pharisæo. Ego quidem, si liceret, causam esse dicerem: quod Pharisæi

non amplius inter Judæos, sed potius inter Christianos sint quærendi. Constat enim Pharisæos hominum genus inflatum et arrogans fuisse, quod omnes præ se contemnebant. Unde et recte Pharisæi, id est, separati dicti. At nunc inter Judæos nulli ejusmodi separati videntur reperiri, cum pene in omnibus pares, quodque amplius est, unanimes videantur: plurimi vero inter Christianos. Passim enim pauperes contemnuntur a divitibus, indocti ab eruditis, ignobiles a nobilibus, subditi ab iis, qui in dignitatibus positi, etc. Quibus ego habeo aliquid dicere, juxta stylum et modum quo usu est in hodierno evangelio Dominus, sub velo enim parabolarum et fabularum veritatem eis insinuabimus.

I. Spernit interdum religiosus non religiosum, et qui vitam austeriorem ducit, eum, qui minus austeram; et qui justus est, peccatorem. Sed habeo tibi aliquid dicere. « Homo quidam habebat duos filios et accedens ad primum, dicit: Fili vade hodie operari in vineam meam. Ille autem respondens, ait: Nolo. Postea autem poenitentia motus, abiit. Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens ait: Eo domine, et non ivit. Quis ex duobus fecit voluntatem patris? » Hanc parabolam proposuit Dominus, Matth. XXI. principibus sacerdotum et senioribus, qui cum promisissent se ituros ad vineam colendam, minime iverunt: exaltans interim peccatores (quos illi contemnebant) quia facto et moribus Domino obediunt, etsi professione vitæ dissolutionis nihil tale ab eis videtur expectandum. Quid ergo responderunt Judæi: *Dicunt ei: Primus. Dicit illis Jesus: Amen dico vobis, quia publicani et meretrices præcedent vos in regno Dei.*

Ad hunc modum evenit quandoque, ut religiosus, qui Deo vovit singularem cultum, minus eum colat, quam is qui non vovit. Item ut peccator tandem in se redeat, per humilitatem et poenitentiam eatque in vineam Dei, quo prius ire noluit: justus vero in fine extollatur, et non eat, quo promiserat. Refert Guilielmus Lugdunensis episcopus, exemplum de quodam eremita, qui in agone petiit eucharistiam sibi adferri a vicini monasterii abbate. Quæ cum ad ægrum gestaretur comitante lumine et nola, latro quidam audita nola secutus est a longe, usque ad eremitæ cellam, nec tamen omnino ingressus, quod indignum se judicaret, qui tam sancti viri cellam intraret. Concepto autem serio dolore de peccatis suis, cogitabat intra se: O si tam bonæ vitæ essem, quam est hic eremita! Eremita vero latronem agnoscens, contempsit eum in animo suo dicens: *Merito optare possis, ut tam sanctus sis, quam ego, atque ita spiritum reddidit.* Quo facto

frater abbatis comes, multum lacrymari cœpit. Redeuntibus illis ad cœnobium, secutus est et latro, qui in via lapsus fregit cervicem. Quod cum frater ille vidisset, risit affatim, ita ut abbas eum increparet. Ille vero se excusans prodidit causam, dicens revelata sibi esse a Deo mirabilia eo tempore: eremitam scilicet ob superbam cogitationem damnatum, latronem vero ob suam humilitatem et poenitentiam ad cœlum evolasse.

II. Spernit dives inopem. Unde Aristoteles, II. rhet. ait divites esse elatos et superbos, jactatores et despectatores pauperum. Sed tu quisquis es ejusmodi, habeo tibi aliquid dicere. Duæ vaccæ erant, una pinguis et nitida, libera quoque a jugo, saltitans in pratis: altera macilenta et deformis, jugum in agro ducens. Huic exprobrare cœpit illa maciem, pellem scabram miseramque servitutem. Interim advenit lanio, pecudem ad macellum empturus, et cum displiceret ei macilenta, pinguem alteram emit ductamque ad macellum illico mactavit, et in ollas ferventes ejus misit. Vacca vero macilenta exacto labore, liberata est a jugo et ad pascua educta incolumis. Cujus tibi nunc conditio melior videtur? Utique vaccæ macræ. Et ita res habet cum paupere. Hic enim in hoc sæculo macer et oneribus pressus est. Dives contra pinguis et a legum jugo, opinionione saltem sua, liber, sed veniet lanio tartareus, qui hunc quidem ad macellum rapiat, illum vero relinquere salvum cogatur. Ut patet Luc. XVI. in hist. epulonis et Lazari, quorum iste hic patiebatur et esuriebat, ibi vero in sinum Abrahamæ gestatus est: ille hic epulabatur, sed ibi in infernum sepultus est. Eoque tendunt verba illa Amos IV. *Audite hoc vaccæ pingues, quæ calumniam facitis egenis et confringitis pauperes, quæ dicitis dominis vestris: Afferte et bibemus. Juravit Dominus Deus in sancto suo, quia ecce dies venient super vos; et levabunt vos in contis et reliquias vestras in ollis ferventibus, etc.* Hinc narratur pinguis exprobrasse aliquando macilento, quod faciem haberet venientis ab inferno. Cui respondit macer: *Et tu faciem habes euntis ad infernum.* Ejusmodi vacca pinguis erat Theodoric. rex Rom. Arianus, iniquissimus interfecto Joannis papæ et Symmachi patricii. Eum enim, tempore obitus ejus, solitarius quidam magnæ virtutis vir in insula Liparitana degens vidit inter Joannem Pp. et Symmachum vinculis manibus deductum jactari in Vulcani ollam. Cujus visionis tempore observato compertum est Teodoricum eodem illo tempore e vivis excessisse, S. Gregor. IV. dial. c. XXX.

III. Spernit doctus indoctum. Sed habeo tibi aliquid dicere. Jactavit aliquando vulpes in collo-

quo technas suas easque varias. Felis aut respondit unicam sibi esse artem, cui fideret, si quid esset discriminis. Inter confabulandum repente canum accurrentium tumultus auditur. Ibi felis in arborem altissimam subsilit, cum vulpes interim a canum agmine cincta capitur. Utra conditio melior tibi videtur? Felis, æstimo, dices. Pari modo præstat scire pauca, sed utilissima et ad saltem necessaria, quam multa inania. Sapientissimus fuit Salomon, disputans super lignis a cedro, quæ est in Libano, usque ad hyssopum, quæ egreditur de pariete; interim tamen captus et illaqueatus est more meretricium et innumeris peccatis, ita ut lapides ac ligna demum adoraret. Sapientes etiam Pharisæi et Scribæ, interim tamen peccatis onusti et Deo invisibiles erant: rudis et contra Zacchæus, Luc. XIX. qui quærens videre Jesum quis esset, ascendit in sycomorum seu ficum fatuam, quæ crucem representat, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, et ibi invenit Deum ac salutem suam. Ita et Apost. I. Cor. II. *Non judicavi me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum et hunc crucifixum.* Quanto feliciores sunt omnibus mundi sapientibus qui Jesum crucifixum sciunt, et ad eum in omnibus discriminibus recurrunt? Quanto melius est scire evadere discrimina peccatorum et poenarum ea consequentium, quam omnes mundi scientias? Ut non ii, qui plurimum comedunt et exercentur, melius valent iis, qui modice: ita non plurima, sed qui utilissima legerint, docti censeantur et studiosi, inquit Laertius, in Aristippo. Similiter non qui plurima, sed qui saluberrima sciunt, sapientes dici debent, I. Reg. VI. Vaccæ portantes arcam recta et cito venerunt ad terram Israel, quam Israelitæ per quadraginta annos invenire non poterant: ita sæpe certius inveniunt beatitudinem rudes, quam litterati. Unde Aug. I. VIII. conf. c. VIII. ait: « Surgunt indocti et cœlum rapiunt, et nos cum doctrinis nostris sine corde, ecce ubi volutamur in carne et sanguine. » Talis S. Servulus mendicus, qui teste S. Gregorio cum esset illitteratus, emit sibi codices sacros, et constituit, qui eos sibi legerent, cum multi habeant domi magnas bibliothecas, nec tamen eas curent, etc. Multi bene loquuntur de Deo, male tamen ei serviunt: multi considerant et prædicunt eclipses, interim ad mortis suæ eclipsin non numerant peccata: multi administrant aliis justitiam, suam interim negligunt.

IV. Spernit nobilis ignobilem. Sed habeo tibi aliquid dicere. Equus phaleris sellaque exornatus ingenti hinnitu per viam currebat. Currenti autem onustus asellus forte obstabat. Equus ita fremebundus: *Quid, inquit, ignave obsistis equo?*

Cede aut proculco te pedibus. Asellus contra rudere non ausus, cedit tacitus. Equo autem provolanti et cursum intendenti crepat inguen. Tum cursui et ostentui inutilis, ornamentis spoliatur, dein carrario venditur. Videt postea cum carro venientem asellus et affatur? *Heus boni vir! quid istud ornamentum est? Ubi aurata sella et callata cingula? Ubi frænum nitidum? Sic amice necesse fuit evenire superbienti.* Hoc sibi dictum existiment nobiles, qui plebeios spernunt, et undique sibi cedere de via volunt. Crepabunt enim aliquando per mortem et nunc æqualis erit eorum conditio cum plebeis, spoliabuntur enim suis ornamentis et pari cum aliis modo sepelientur. Ubi tunc indicia et ornamenta nobilitatis? Cæterum longe minor nobilitas et ignobilium, quam equorum et asinorum est differentia. Non enim equi ab asinis, vel asini ab equis progignuntur: cum tamen nobiles ab ignobilibus; ignobiles a nobilibus nascantur, et necesse sit tandem ad eosdem devenire parentes, vel ad promiscuos. Id aliquando ostendit Joannes Teutonicus eruditionis titulo quidem clarus, sed notus tamen, ad Halberstadiensem canonicatum, qui nonnisi nobilibus concedi solebat, evector, ideoque a collegis utpote nobilibus contemptus, collegas invitavit ad convivium et lautissime exceperit: inter cæteras convivales festivitates iniecit mentionem acroamatis magici et quæsivit num suos singuli parentes aspicere cuperent? Illi ardent studio videndi. Tandem elicit iste malo carmine umbras desermes coqui, stabularii, morionis, rustici personati, quorum facies in paternis ædibus illi aliquando vidisse se fatebantur: suum quoque patrem exhibuit habitu canonici, pingui aqualiculo. Dimissis umbris: *Eia, inquit, dicito fide bona, eccujus patrem nobiliorem judicatis?* Collegæ metu perterriti et pudore suffusi quam quisque domum repetiere, nec ultra Joanni vitium sanguinis exprobravere, Delr. I. II. disquisit. q. XXX. l. II.

V. Spernit subditum is, qui in dignitatis gradu constitutus est, et quasi ex turri infra conspectum despicit, et pro minimo habet. Sed heus! amice, habeo tibi aliquid dicere. Nux arbor penes viam constituta autumnis tempore exprobrabat vicinis vepribus humilitatem, contorsionem et odium tangentium, suam vero prædicabat elegantiam, proceritatem, fecunditatem, quam suspiceretur et amaretur ab omnibus. Interea adveniunt omnis generis homines, et nuces maturos videntes, arborem baculis, perticis, lapidibus crudeliter impetunt, mactant; fructus, folia et ramos ei decutiunt. Ibi tum ridere vepres, et de sua tenuitate et humilitate gratulari sibi. Nonne horum tu conditionem meliorem dices?